

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 18. a) Circa corundem acceptationem: α) Plane denegatam. N) sive per trassatum primum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

piamus a trassatis, quoniam de istis extra dubium positum est, quod saepenumero protestationem requirant, licet circa singula facta controversa est res et plena dissensionum inter doctissimos. Nominant praecipue res duas, circa quas in cambiorum trassatorum cursu occurrere possint protestationes: Acceptationem scilicet et solutionem, quae, quamvis maximi sane momenti sint, nondum tamen iis omnis protestationum occasio exhauritur. Ordiamur tamen expositionem ab istis.

## §. 18.

a) *Circa eorundem acceptationem.*

a) *Plane denegatam*

N) *sive per trassatum primum.*

Quantum ergo ad acceptationem, omni dubio caret, protestatione opus esse, simulac acceptationem in totum denegat trassatus, dummodo actione ad trassantem regredi velit cambii dominus. Res omnimodo aperta est. Regressus erga trassantem non patet, nisi trassatus ei, quod ab eodem postulavit trassans, non responderit. Ab isto facto omnia pendent. Hoc igitur probandum est, et quidem, ut in omni processu cambiali, liquide et plene; quod nullo modo nisi protestatione cambiali legitima te posse, supra jam demonstratum est.

## §. 19.

b) *Sive per illos, ad quos literae commendatitiae directae sunt.*

Iteranda quoque est protestatio, cum cambium per trassantem in casum acceptationis a primo trassato denegatae ad alios trassatos directum sit (quod *Nebenadresse, Nothadresse*, latine interdum *litteras commendatitias*,

